Golinius Basilius
Bartkowicz Stanislaus
Fałecki Adamus

Nob. Iuvent. Epigrammata dum in Acad. Crac. S. Th. doctores renuntiarentur.

EPIGRAMMATA.

Reueren: ac Clariss: viris DD.

BASILIO GOLINIO.

STANISLAO BATHCOVIO.

ADAMO FALECKI.

Dùm in Academia Cracouiensi S. Theologiæ Doctores renunciarentur: Nobilis Iuuentus lusit ac dedicauit.

In templo D. Annæ.

R. D. Opatovij S.T.P. et R. D. Scrobisseuskij I.V.D. [illegible]

Ex Musæo Excell: D. Mgri Sebastiani Lubinij Drascij, Colleg. minoris, Praep. ad S. Adalbertum, Patrui et Praeceptoris mei desideratissimi. [illegible] 1609. 20 Decemb. ad S. Annam.

CRACOVIÆ,

In officina Typographica LAZARI.

Anno D. 1603.

Carmen Dedicatorium.

DVm cantare tibi volo, Mineruæ
Splendor, Lechiadum micansq; sydus;
Quòd nostri in spaciis Lycæi, surgis
Ceu Sol Oceano rubens Eöo.
Septem nunc numeros, Lyræ, vel acrem
Pulso pectine barbiton, iocosum,
Carmen sueta sonat, repentè fila
Muto; Mæonii vocoq; vatis
Musam: quam increpuit Minerua, meq;
Hæc quòd bella canit cruenta; iussit
Concordi celebrare voce; concors
Quòd Diua Vrania, axe summo & imo,
Mortales regat, ac quietis author
Sit. Quare paria ô Patres colendi
Vobis disticha nostra dedicantur.

Stanislaus Cikowski. Succamer. Cracov.

EPIGRAMMATA.

SPES MELIOR Academiæ.

COmmunis luctus, lachrymas, gemitusq́; profundos,
Exciuit crebro, funere, Parca mihi.
Heu tot cùm ſubitò firmæ cecidêre columæ,
Alta quibus ſtabant noſtra Lycæa diu.
Quomodo! ſim quamùis Phœbi poſtremus alumnus,
Quæquæ concipio: carmina corde premam?
Deſine mœſta tuos, miſcêre Academia luctus,
Et noua concipias gaudia corde nouo.
Amiſſos tandem repetit, Diuina Magiſtros,
Ars; ſurgent Noſtræ mœnia lapſa Scholæ.

Petrus Branicki.

Algu. Dni Ensiferi, Capitanei Nepolom. Filiq.

MVSA EXPERS LETHI.

NEſcio Pierides? etiam vos inuida fata
Doctas, atque Deas in ſua buſta trahunt?
Sarmatiæ tellus, vrbs priſci altiſsima Craci
Floruit; inſignis laudibus Aönidum.
Conticuit poſthac, reliquis auguſtior vna
Vrania, inuidit Parca nefanda Deæ.

Inclyta

Inclyta ſed nuſquam Stygias defertur ad vndas
Muſa; ſolet quæ alti dicere fata Dei.
Myſtis ecce ſuis ſacratâ tempora fronde
Iuppiter exornat, viuere muſa valet.

Andreas Tarlo,

THEOLOGO CEDANT AVGVRES.

CErtum eſt, non paruas acquirit gloria eundo
Vires: nec magno, clauditur Oceano.
Nomen vt ergò volans immenſa per æquora veſtrûm
Fama tulit chartæ Pectora Docta ſacræ.
Æmula turba ruit, leges, orâcla Deorum,
Aut qui mente ſolent, pandere fatidica.
Poſcunt certamen, Vatis monimenta Sybillæ,
Terni conſeruant, ac reſerant que viri.
Doctores adſunt: bona quos Academia mittit,
His tribus eſt nemo doctior ille viris.

Stanislaus Lewicki.

THEOLOGIA ORACVLVM DEI.

ARdua Thebanæ, fuerant ænigmata Sphyngis,
Oedipus, illa tamen, vîncla ſcienda dedit.

Delphi-

Delphicus ambiguis, multùm perplexus Apollo
Nîl dixit; quod non mens aperire valet.
Maior vis dictis sacris, occultaque fata
Sunt: etenim solus, protulit illa Deus.
Gordius hic nodus; quisquis dissoluerit illum
Iudice me, plus quàm Persica Sceptra geret.
Regna equidem promitto Patres cælestia, per vos
Elogii pateant, si intima sensa sacri.

Abrahamus Lubowiecki.

THEOLOGIA PALLAS.

NAturâ melius, superas aut incolit ædes,
Aut terreno, illi carcere nulla quies.
Est domus Aönidum sublimis Piërius mons
Ardua Parnassi, spectat Apollo iuga.
Nascitur in terris virtus, sed tendit in altum
Cùm magnis, magnum viribus vrget opus.
Pallas virtutes, & Musas, antëit omnes,
Est quæ supremi, vera propago Iouis.
Ipsa tenet cælum, supremos gestat honores,
Cuius, supremum est: occupat illa caput.

Abrahamus Macieiowski.

THEOLO-

THEOLOGIA HORTVS VIRTVTVM.

EStlocus in terris dicunt, quem Theſſala Tempe,
Omnis in hunc proprias, contulit hortus opes.
Sint plures; riuis, cantu, vel mulceat addam
Aureus Hebrus quos vel moribundus olor
Omnes Elyſios campos, vis? confer in vnum
Horto virtutum: dextera ſigna dabit.
Occidit herba oriturque ſimul, non marcida virtus,
Non hortus, ſed quam ars gignit amœna Dei.
Felices animæ, quæ iſto decerpitis horto,
Reddere vos ſanctos, atque beare poteſt.

Staniſlaus Trebecki.

THEOLOGIA MAGISTRA VITÆ.

AMphitrioniades dubius quâ vertere greſſum
Debuerat: geminas vidit vt antè vias.
Læua quidem facilis, ruptis hæc aſpera ſaxis
Principium his diſcors, ſed mage finis erât.
Conſuluit quoties. ſecumque in pectore voluit,
Haud ſemel incœptâ deſtitit ire via.
Sic niſi ſydereæ, mortalia pectora, Muſæ
Vraniæ, ſacro dogmate culta forent.

Copia

Copia quanta hominum, recto de tramite flexa
Illecebris operam: vix cohibenda daret.

Ioannes Polanowski.

EXPVLTRIX HÆRESVM.

ESt nihil, hoc habitamus, quem iucundius orbe
Quàm Phœbi radiis, candida terra sui.
Et tamen Alcides, nisi Bellorophonque fuisset
Horrendus monstris, Tartarus orbis erat.
Templa Dei, mundus, Christi sunt dogmata tela,
Hercules est Doctor, Schismata Lerna ferox.
Amphitrioniadæ nostri quos armat in hostes,
Et Deus, & nostræ præmia sacra Scholæ.
Sumite tela data, & patrio depellite regno,
Plus quàm Lernæum perfida verba malum.

Joannes Musselmius Curzelouien. Canonicus Crac. S. T. Doctor. *Petrus Cæsarius.*

CVRELOVIVS THEOLOGVS, PHOENIX.

INdia tot cantus auium, pictasque volucres,
Vix vllum numerat, quot nemus, ipsa fouet.
Sola tamen (Phœnix) nullo quam lumine CynthI
Fœcundis Arabum nascitur ales agris.
Mirum! viua manet sterilis, pòst funera prolem
Atra vnam emittit, facta fauilla Parens.

Sarmatiæ

Sarmatiæ Phœnix multùm felicior illo
MVSCENIVS, plures edidit ecce satos
BOTCOVIVM ingenio, rarâ grauitate FALECKI,
Insignem vario dogmate GOLINIVM.

Alexander Rassowski.

Anno Domini 1604. Wladislaus Princeps Poloniae et Sueciae hereditarius in cum Illust^mo et Rev^mo Cardinali Bernardo Maciejowsky, Epscopo Crac. Qui suam Academiam Cracoviensem miserat, pro Renunciatione in Alma Academia.
A. Dni 1608. Nones Septembr. cum interesset Disputationi Theologicae, Serenis: Princeps Wladislaus, Sigismundi III Regis Poloniae filius natu maximus, Augustum nomen suum, in tabulas Academicas manu sua inseruit.
Vide Orationem Gratulatoriam, ad Serenis: Principem. ab initio pag. 1.
R. D. Joannis Poczlaud... S. T. D. P. ... S. Nic.